



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 469. In quibus hi effectus & jura consistent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

ultima voluntate, æquè sit dubium, quàm ipsa quaestio. Franzk. *in tr. de laudem. c. 16. num. 137.* simpliciter falsum dicit. Negant id plerique apud Lauterb. §. 129. qui tamen *num. 130.* distinguit idipsum, quem vide. Sed neque ex eo, quòd, dum moribus receptum est, ut ex certo prædio redditus percipiendi constituuntur, prædium afficitur, ita ut ad quemcunque possessorem transeat cum eo onere, sequitur, creditorem in eo fundo habere hypothecam, vicujus is in concursu creditorum quò ad præteritas annuas præstationes nondum solutas aliis creditoribus præferendus sit. Lauterb. §. 131. cum aliud sit jus in re annuorum reddituum, aliud jus hypothecæ pro eorum securitate in ipso fundo constitutum. Non enim, ut inquit Velasc. *loc. cit. quest. 32. num. 14.* id agitur, ut pro securitate census rei impositi res sit hypothecata, sed ut census & onus illud reale sit ipsi rei impositum tanquam servitus quadam. Franzk. *l. 1. resol. 2. num. 17.* Et hæc de jure communi; quòd enim hodie quibusdam in locis consuetudine receptum sit contrarium, ut nimirum hypotheca tacita ratione canonis in ipsa re emphyteutica constituta sit, admittunt Carpz. *p. 1. c. 28. def. 54.* Marquard. *loc. cit. Lauterb. §. 132.* & alii ex prædictis. AA. Pari modo pro laudemio ex re emphyteutica debito competere domino illius hypothecam tacitam, cum Carpz. *loc. cit. def. 53.* docent plures, contrarium rectius tenentibus Merlin. *loc. cit. l. 3. quest. 10. à num. 42.* Roderic. *loc. cit. Franzk. de laudem. c. 16. num. 128.* Berlich. *loc. cit. concl. 67. num. 79.* Lauterb. §. 133. quia hic quoque deficit dispositio legis.

2. Secundo pro decimis in bonis ex quibus debentur tacitam hypothecam concedunt. Berlich. *loc. cit. num. 76.* Carpz. *def. 28.* Negus. *de pign. p. 2. m. 4. num. 126.* Verum, ut ait Lauterb. §. 139. textum nullum juris communis, quò id probetur, assignant. Tertio in bonis furis alteriusve pro rebus ablatis aut damnis illatis tacitam hypothecam competere furtum vel damnum passis allerunt Carpz. *pr. crim. p. 2. quest. 80. à num. 119.* Negus. *loc. cit. num. 124.* Berlich. *loc. cit. num. 75.* & alii apud Lauterb. §. 136. contrarium melius sentientibus Merlin. *loc. cit. quest. 35.* Tuldén. *in Cod. in quibus caus. in fin. Vivio. decis. 51.* Lauterb. *loc. cit.* ita ut neque in rebus furtivâ pecuniâ per furem emptis hæc hypotheca prætendi queat, deficiente hic iterum legis dispositione. Quarto in bonis usurariorum multi quoque apud Merlin. *l. 3. quest. 36.* tacitam hypothecam concedunt pro restitutione usurarum. Oppositam tamen sententiam tanquam veriolem magisque communem sectantur ob defectum legis sic statuentis cum Merlino *loc. cit. à num. 4.* Lauterb. §. 137. & aliis. Quinto creditores funerales, qui nimirum in funus aliquid impenderunt, etsi privilegium omni hypothecâ superius effectivè habeant, ut Lauterb. §. 139. nullam tamen iis à lege datam hypothecam probari posse, ait idem. Denique etsi Ecclesia in omnium debitorum suorum bonis tacitam competere hypothecam aliqui asserant, addendo etiam pro ratione, quòd regulariter omnia filii privilegia competant Ecclesiæ, negent tamen id cum addita ratione alii, nisi debita & bona Ecclesiæ quò ad hoc sint specialiter privilegiata. Vide Lauterb. §. 138.

CAPUT SECUNDUM.

De

Effectibus, Juribus, & Obligationibus ratione Pignoris tam Creditori quàm Debitori natis.

Quest. 469. In quibus hi effectus & Jura consistant?

REsp. Effectus hujus juris in re, quod pignus vel hypotheca vocatur, de quibus in præsentè quaeretur, an & qui sint, sunt sequentes: jus pignore utendi percipiendique ex eo fructus. Jus rem oppignoratam persequendi, ubi de actionibus pignoratitiis. Jus eandem retinendi. Jus prælationis, ac denique jus eandem distrahendi.

Quest. 470. An & qualiter creditori competat jus utendi pignore?

REsp. creditor incio ac invito debitore uti non potest pignore, sed, si utatur, furtum committit, & actione furti conveniri potest. Molin. *de 7. & 7. tr. 2. d. 535.* Lauterb. *ad ff. de pign. §. 37.* cum communi juxta expressum textum *L. qui jumenta l. si pignora ff. de furtis. §. furtum. a. rem. Inst. de oblig. qua ex delict. Poterit tamen eodem uti licite, non tantum, dum id facit cum expressa voluntate liberta (intellige, ea libertate, cui mixtum non est involuntarium, quale misce-*

tur, dum quis solvit usuras, aliàs sine illis non obtenturus mutuum; in tali enim casu creditorem utentem pignore ob datam sibi mutuum pecuniam committere usuram, tradit citatis D. Thom. *2. 2. quest. 78. Nav. in man. c. 17. num. 203. Sylv. v. pignus. num. 7. Reiffenst. b. t. num. 45.)* sed etiam cum præsumpto prudenter consensu domini, ut Sylv. Nav. Molin. *LL. cit.* qualis præsumptio consensûs videtur adesse, dum pignus est res talis, quæ inter amicos concedi solet, ut sunt libri, suppellex, præcipuè dum usu non multum deteritur aut consumitur. Aliud etiam est, si ususfructus simul concedatur, & bona immobilia sub pacto antichrifeos pignori data sint.

Quest. 471. An igitur nihil juris habeat creditor circa percipiendos ex pignore fructus?

REsp. primò: etsi possit ex pignore percipere fructus, eosque, si servando servari non possunt, etiam vendere, debet tamen eos postmodum computare in sortem, ita ut in tantum minuatur debitum, pro quo datum est pignus, in quantum